

# CONSILIARIUS,

in locum

piè in Domino An. 1723. 27. Nov. denati,

ILLUSTRISSIMI DOMINI,

D O M I N I

MICHAELIS SIMON,

de DÉSFALVA,

Sacræ Cæsareæ Regiæ ac Catho-  
licæ Majestatis, in Excelso Transylvaniæ Gubernio  
Regio-Principali, Intimi & Actualis Consi-  
liarii, &c.

Anno 1724. 3. Jan.

in DÉSFALVA Inclyti Comitatus Kükölliö.

surrogatus.



Excusum CLAUDIOPOLI, Annò 1725.





*Terminus aëta probat.* O felicem nostram Patriam Transylvaniam, in qua lites atque causæ publico in Foro agitandæ, non sunt sine Termino! in qua Terminus non sine Termino! quin vel initium satis fatali augurio Termini nomen sibi vendicat, nempe *quod fini junxerit ortum, stabilemq; sui fecerit orbem.*

*Agefilaus* audiens quendam, Perfarum Regis adhuc Juvenis, admirari felicitatem, respondit: *Nondum finis adest vir optime.* At in Transylvania, chara mihi Patria, gravi lethargo affectus, profundo de somno evigilavit, non tam judicialiter & cum onere decidendis, quàm componendis, & pace terminandis controversiis, à majoribus nostris vindicatus Terminus, ejusq; 30 dierum Terminus exspiravit. O infelicissimam Rempublicam, in qua reorum & Patronorum auri sitientissimorum technis, lites immortales redduntur! licentia enim tanquam scelerum officina, laxatis habenis impunè dominatur & furit; non gens, non civitas tuta; culpata vitæ homines, & indigni, pro lubitu, innocentia fulcra subvertunt, virtute spectatis præmia subducunt. *Claudius: Svadet licentia luxum, illecebris effrana favet.* *Seneca: Cui plus licet, quàm par est, plus vult, quàm licet.* *Ait Sallustius in Catilina: Malitia, præmiis impunitatis exercetur.* *Tacitò monente: Langvescit omnis industria, intenditur socordia;* ubi enim malos præmia sequuntur, non facillè quispiam gratuitò bonus erit, siquidem prout rerum usus se commendat, ita etiam eæ appetuntur. Impunè malus aliquis evadit, ubi vel nulla, vel sera, vel venalia judicia, ubi non licet *dicere jus populis, injustaq; tollere facta.* Vix gravior apud *Causantes* abusus, quàm *Protractio* judiciorum; quàm insatiabilis litium & litigantium *Orexis*; nec non *Advocatorum*, existimantium five benè five malè, dummodo *Cientes* tueantur, id æquum esse, infinitæ *Exceptiones*, non ausim dicere *cavillationes*; generant enim *privatarum* opum æruginem, & sanguinis pauperum execrandam ingluviem, ita ut licet divite argenti penu instructus in *arenam* prodeas, vix tamen jure tuo potitus fueris; *nihil enim publica mercis tam venale dixit Tacitus, quàm Causidicorum perfidiam,* qui sæpe non tam ex merito justitiæ, quàm turpis lucri quæstu, protrahendo, excipiendo patrocinantur, potius impensam scenerantur suis *Principalibus*. *Celebris Causidicus Mediolanensis* victoria potiri solebat, seu æqua seu iniqua causa; à quodam itaq; callidè rogatus: sibi liquidum debitum solvere nolenti opem polliceretur; quam pollicitus *Advocatus*, ipse criminis convictus, laqueove ut fur publicus, dignus in præ-

mium à suo Clientè pronuntiatus est : quæ tamen investiva absit, ut impetant pauperum propugnatores, veritatis defensores, quorum conscientia fortunam nostram, honorem, vitamque; tutò licet committere, in tanto enim litium strepitu, potentum intuitu, imbelles & simplices causæ, vel iustissimæ patrocinium vix invenirent, nisi jure Gentium Advocati omnium Ministri ordinati essent; potiùs Rabulæ & Leguleji emendandi forent, qui tanta, seu iustissimam seu injustissimam causam protrahendi, libidine luxuriant, ut æquis Judicibus nauseam, Clientibus magnam summam expensarum, si non amissionem prætensionis, venalibus suis lingvis disputant, susque deque omnia miscentes, jura legesque confundentes, veritatem tantis involucribus tegunt, ut si perspexerit, Argò oculatior sit, Judex.

Cautè olim Romani, judiciariis Processibus vestigalia imposuerunt. Apud Athenienses intrà mensis spatium; Apud Lacedæmonios, & Areopagitas inter ortum & occasum Solis; causæ terminabantur. *Ludovicus XIV.* Rex Gallia quæcumque litigia spatio unius anni definiri jussit. Etiam in Transylvania, vel longi Processus de bono ordine, quatuor Terminis, breves vel unico, terminari possunt, nec sine temerè litigantium pœna. O ergo multis expectatum, sed multis inauspicatum Octavalem, Judiciorum in Transylvania celebrari consuetorum, Terminum! Quanto cum desiderio, quanta cum expectatione insonante Termino Termini Octavalis, Causantes convolant! at quanta cum animi dejectione sedes suas meditantur, cum, seu calliditate Advocatorum, seu temporis angustia, copia causas dijudicandi, vel etiam proclamandi præclusa fuerit! Stante & durante Judiciorum Termino, proximè Claudiopoli celebrato, plures quàm 300 causæ in series, at nec decima earum pars in sententias, relatæ. Earum etiam quædam condescensæ, quædam depositæ, quædam exmissæ, quædam prohibitæ sunt, fortè finaliter non nisi duæ decisæ, eaque satis brevi unius ejusdemque diei processu terminatæ. *Una, Illustrissimi quondam Comitiss Gabrielis Haller de Hallerkö, qui, ut Tabulæ Judiciaræ Assessor, in dicendo jus & æquum occupatus, ecce dies illi indicta, & Judex superioris Judicis Deliberarum exosculatus est. Altera, ILLUSTRISSIMI DOMINI, Dñi MICHAELIS SIMON de DESFALVA, Sacræ Cæsareæ Regiæque; Majestatis per 26 annos Consiliarii, quo die proclamata, eodem etiam sententia executioni mandata est. O felicem eum, cujus justa causa, sine longo patientiæ strepitu, tam citò, tam feliciter, brevibus passionibus terminari potuerit, ut ô nos infelices, quibus non amplius licuit sub umbra alarum ejus consilii, requiescere! Ecce publicis Regni negotiis distracto, & fracto, nulla Remedia Juris indulta; Prorogata non concessa; Prohibita, utut sigillo magni Archiatri, Transylvaniæ Esculapii munita, prohibita*

hibita fuit ; Inhibitio inhibita ; Repulsio repulsa ; Dilatio non obtenta ; Apellatio non transmissa , frustra Procuratoribus de Præceptorio protestantibus ! O felicem tamen sub Termino Terminum ! Fortunas enim amisit , bonis possessionariis excidit , sed Gratia Sux Augustissimæ Majestatis etiam nunc fovetur ; Crimen enim læsæ Majestatis , Nota Infidelitatis non sub Termino Octavali , sed in Dieta solent ventilari . Et cum ILLUSTRISSIMUS DOMINUS , Dñs MICHAEL SIMON de DESFALVA , ex mandato Cæsareæ Majestatis , de Comitibus , sub ipso Gratiostissimo Rege ac Principe Cibinii celebrandis unâ cum aliis cogitat , Regalia Mandata antevertit , Cœlesti suo Regi ad Universalia mundi Comitata atq; judicia vocanti , & adventanti , nocte ad primam ejus Adventûs diem illucescente , lætus occurrit , terrenoq; suo Principi , fidelitatem totò vitæ decursu illibatè præstitam , humiliter resignat .

Hoc ultimo itaq; Honoris ejus Termino , tanto Viro non indignum duxi novum Consiliarium substituere , Eumq; Vobis repræsentare , ut cum ipse Virum dignis encomiis celebrare non valeam , materia merita ejus exponat ; & cum materiam exornare supra meas facultates sit , siquidem Juris Politicesq; studium exangve apud me jaceat , materiam Vir vivis depingat coloribus . Novi equidem , quæ de magnis Viris dicuntur , *cum venustate , sententiarum gravitate , & majestate verborum dici debere* , monente Dionysio Halicarnassensè ; verùm tam sublimi materia Rhetorici flosculi , & pueros juvenia pigmenta indigna sunt ; ipse etiam cum jam dudum nuncium miserim Eloquentiæ ; & Oratoris , cujus est ad impellendos & commovendos animos , quocunq; astu irrepere , vices puerilibus vel juvenilibus cesserim ingenii ; non tam elegantia , quàm rerum ero sollicitus ; quapropter debita Venerationi , memoriæ ILLUSTRISSIMI DOMINI , Dñi MICHAELIS SIMON de DESFALVA , ob quam huc advolastis ; & materiæ dignitati acceptum referam , si hilari vultu , & benevola patientia , me balbutientem exceperitis .

Frustra vicinis auribus insulurras ; Quid nobis cum Consiliariis , quos nec creare , nec creari , sit nostrum ? An non scis interesse omnium , ut omnibus bonis aditus ad dignitates pateat , & optimos quosq; anteponendos ; quod omnium commune est , singulis denegandum non esse ? quo ipso in subiectis amor erga Rempublicam nascitur ; in honore constitutis factus libido reprimitur , dum se ex paribus electos , & ex iis aliquando successuros sibi cogitant . Nonne hinc concordia & obsequium Reipublicæ ? cum enim quis se sperat eodem loco futurum , ne sibi debitam olim excutiant reverentiam , reverentius habet imperantes ; hinc in Republica Romana , ob plebem ad honores admissam *Furius Camillus* ædem Concordiæ extruxit . Tolle honores , tanquam præmia aequaliter distributorum onerum , marcescet virtutis sti-

mulus; et ubi non tam generis, quàm virtutis; non opum, sed industriæ calculus instituitur; non Majorum merita, sed propria ponderantur; singuli noctes diesq; Reipublicæ commodis impendere præstò sunt. At licet nullus vestrum, honorum dignitate dignus reputetur, unicuiq; tamen relicta est obsequii gloria: cui autem deferetur debitum reverentiæ, nisi solum honoris innoverit.

Vulgatum olim: *Propter quod unumquodq; est tale, illud magis est tale.* Quanta est necessitas consilii, utilitasq; boni, tanta est dignitas *Consiliarii.* *Omnis providens consilium querit*, inquit ille. Est in Adagio: *Res sacra Consultor*, quo significatur plurimum utilitatis adferre benè consulentem. *Respublicæ* ramdiu florent & vigent, quamdiu præsidet Consilium: quid populum Romanum sub unius Imperium compulit, nisi *Mæcenatis* consilium? quid divisos *Atheniensium* animos univit, nisi *Solonis* consilium? Finxerunt *Pœtæ* fuisse in fatis, evertendam esse *Trojam* ablato *Palladio*: quo significarunt amissa *Pallade*, id est, Consiliò, concidere *Respublicas*; majora enim audet *Pallas* dum quiescit in *Jovis* cerebro, quàm *Bellona Martis* socia, inter armatas acies. *Vis consilii expers mole ruit suâ*, juxta *Horatium*. Parum conferunt animus, vires hostiles, exercitus, exercitati *Duces*, nisi *Duce* Consiliò: Recognoscit *Tacitus*: *Plura consilii in summa fortuna quàm manibus geri*, multa enim naturæ impedita consilio sunt pervia. *Tiberius, Tacitus*, rerum Imperii peritissimi nil, nisi consultò fecerunt: constat ex *Historiis*, à Romanis consilio potius, quàm vi Orbem subactum. Unde *Oraculum*: *Romam sedendo vincere.* Ergo: *Omnia prius consilio, quàm armis, experiri sapientem decet*, apud *Terentium*. Et magnum *Jovem*, utut supremum Gentili superstitione Numen, non prius existimârunt jaculari fulmina, & fulgetra, quàm consultis aliis Diis, Deabusque: *Inconsulta cavet jaculari fulmina dextrâ, Nec nisi consiliò fulgurat Altipotens.* Rex *Franciae Carolus V.* cognomento, & verè sapiens, bellum contra *Anglos* consiliò decretû, felici exitu confecit; & *Ludovicus XI.* itidem *Francorum* Rex, *Senatum* non consulere, cùm infelix consilium proprio periculò sensisset, in alterum extremum non minus inconsultum, *Filium Carolum* præcipitavit; quem ut alienis consiliis saperet, ita institui voluit: ut nihil sciret, modo tria verba Latina teneret.

Dicebat *Cardinalis Richelius*, ille magni nominis *Franciae* primus *Minister*, vulgò *Ministrissimus*: supra sortem mortalium esse consiliò non egere ad res arduas; arduum verò est imperare, parere minimum est: hoc opus, hic labor, imperare. Ait *Tiberius* apud *Tacitum*: *Se experiundo didicisse, quàm arduum, quàm subjectum fortuna cuncta regendi onus: proinde plures consiliiis munia Reipublicæ sociatis laboribus executuros.* Ait *Richelius*: Nullus unquam

unquam in Regno firmatur ordo, quoniam pluribus privatis displiceat, ex mensura proprii commodi; nisi communi suffragiorum censu valeat; quæ ideo utiliter adhibentur, ut suffragantes ex verecundia propria, cæteris malè contentis silentium imponant, ac onus aliis grave, ex necessitate levius persvadeant. Non gravant tantopere subditos, quæ sciunt sibi non temerè, sed consultò imponi.

Cùm itaq; Imperii administratio sit ita varia, tantisq; difficultatibus exposita, ut summi Imperantes aut omnibus negotiis interesse non possint; *aquila enim non captant muscas, nec elephas mures venatur;* aut omnibus exequendis non sufficiant: æquum est in curarum partes alios assumere, eorumq; consiliis tanquam dextris uti; addit etiam Scriptor Gallicus, sed Politicus: *Animos ex summa potentia facillimè ad licentiam prolabi, nam natura nec Principes finxit præ cæteris perfectissimos.* *Ferdinandum II.* cæterùm sapientissimum Principem eorum pœnituit, quæ absq; interventu consilii egit; dicit enim *Antimachiavellus*, Experientiam docere, prudentiora & tutiora esse consilia, quæ tractantur à pluribus, quàm quæ unius mente agitantur. *M. Antonius* sapientissimus Imperator dictus Philosophus, priusquam aliquid ageret semper consultavit; at si fortè votis dissentirent, æquius esse inquebat, ut ego tot; & talium amicorum consilium sequar, quàm ut tot, & tales amici, meam unius voluntatem sequantur; juxta Proverbium: *Plures oculos clariùs videre, quàm unum.* *Alexandro* Imperatori numerosissimum fuit consilium. *Octavius Cæsar* omnia Reipublicæ negotia cum Senatu communicavit, & sic peperit sibi Imperium perpetuum. *Hieronymus* Siciliæ Rex, tùm quod superbè dominatus fuerit, tùm quod Senatum nulla de re consuluerit, à proximis crudelissimè interfectus est. *Tarquinius* Regia dejectus, quod suo arbitratu omnia gereret. Hoc malo quot perière Respublicæ, concussa Regna, dissoluta Imperia, præcipitati Reges? Vix unquam Imperium floruit sine consilio, ubi consilium sine *Consiliario*?

Nullum majus boni Imperii Instrumentum, quàm boni, & nulla major Respublicæ pestis est quàm mali, *Consilarii*. Crede Xenophonti: *Non exercitus, non mania, neque thesauri præsidia tantum Regni sunt; neque aureum illud sceptrum, aut diadema Regnum custodit; sed amicorum copia, qui consilio & auxilio pollent.* Non magis mens & ratio in corpore humano necessaria, quàm Consilium in Regno. *Sallustius* ait in *Catilina*: *Ego multa legendo & audiendo ita comperi; omnia Regna, Civitates, & nationes usque eò prosperum Imperium habuisse, dum apud eos vera Consilia valuerunt; ubicunq; gratia, timor, voluptas, ea corrumpere, post paulò imminuta opes, deinde ademptum Imperium, postremò servitus imposita.* Et Regum sapientissimus: *Ubi non*

*Ubi non sunt prudentia Consilia, corrui populus; salus autem est in amplitudine Consiliarii.* Sæpè Deus ita mentem immittit, ut Sapientium consilia repudientur, certò præfagiò ruinæ ejusdem Principis & Populi. Non mihi sumam Problema Politicum resolvendum: An præstet Respublica, in qua Princeps malus est, sed ejus Ministri boni, vel illa, in qua Princeps optimus cum malis Consiliariis? *Lampridius* in vita *Alexandri Severi* prius affirmat: ea ratione, quod unus melius possit à multis bonis corrigi, & non vice versa.

Affirmari quidem non potest, semper læto terminari eventu vel sapientissima consilia, sæpè enim solus *Augustus* est utilis Patriæ; turbatores verò Republicæ sunt *Cassius, Brutus, Lepidus, Antonius*, & eorum Comites; sæpè consilia ingrata, ut *Xerxi* expeditionem contra Græcos adornanti. *Ptolomaus* Ægypti Rex, cum dolore recordatus est consilii *Catonis*, ut cum suis in gratiam rediret. Ethnici quæ in Republica contigerunt, ex illo *Theophrasti* Proverbio: *Vitam regit fortuna, non sapientia*, cæcæ fortunæ tribuerunt, cum potiùs oculatissimæ & justissimæ Dei Providentiæ adscribenda sint, licet nos eorum rationes fugiant. Hinc sæpè non ita ingeniosè consulta, prospero donantur eventu, optimè verò deliberata, seu ob investigabiles divini Providentiæ causa, seu quia in capita *Consiliariorum* sæpè redeant, seu quia ex nimia animi viriumque fiducia profecta, pessimum sortiuntur exitum. Ut *Grotius* in *Annalibus Belgicis* notavit: *Suprema Providentia ferè placuisse, Belgicis in rebus ita humanam fiduciam & consilia illudere, ut nunquam simul essent spes magna, & bonus eventus.* *Cicero* de se in Epistola ad *Atticum* exclamat: *Quid agam nunc, cui nihil procedit, caduntq; ea quæ diligentissimè excogitata sunt, deterrimè?* At consilium Christianum hic etiam suas exerit vires, cum mala cœlitùs immissa moderatur, ut tempestatem prudens nauta. *Et quod à fortuna superatur, non propterea est turpe; nimis enim dura foret eorum conditio, quorum fides ex solo eventu deberet estimari*

Non malè itaque, *Vellejus* ait: *Omni ævo competum esse Principes Viros magnis Consiliariis, ad gubernandam fortunam suam usos fuisse.* Græcia, prima literarum & Politicæ Magistra, utut in multas divisa Respublicas, selecta habuit consilia; & semel in anno Apollinis Delphici Religione ducta, in ejus Templo magnū *Concilium Universale Amphitritici*, ab ejus Authore, *Amphitrione, Deucalionis* filio dictum. Ita *Lacedæmoniorum* Generalia Consilia in Templo *Dianæ* agitata. *Solon Athenis Areopagitarum* instituit Consilium; *Sparta* 30. usq; Consiliariis; *Carthaginesium Consilium, Sanctius* à *Livio* dictum, fuit 30. Procerum. Apud *Hebreos* fuit magnum *Synedrium* 70 vel 72 Personarum. *Romulus Romanorum* fundator, *Centum-virali Consilio* Romam administravit; deinceps alii Principes, *Trajanus, Adrianus, Titus, Aurelius*, aliq; *Cæsares* in

partem

partem consilii legebant Viros Consulares, qui tempore Pacis & quingenti fuerunt, sicut Venetiis mille & amplius. Etiam Imperatores ob magnas Imperii Germanici, curas cum juri dicendo vacare non possent, aut etiam ingens temporum jactura fieret, *Universale Imperii Dicasterium*, in meditullio constitutum. Et in *Hispania* sunt *Consilia Status, Regium, Bellicum, Rationalium, Ordinum Equestrium, & alia*. Est in *Gallia* magnum trium Ordinum *Nobilitatis, Populi, Vulgi Consilium*; cui proxima, *Consilium Parium Francia, Parliamentum Parisense, & Consilium Privatum*, vel Secretum Regis, unde omnes leges, omnia arcana Status concipiuntur, & executioni mandantur. Magnam *Britannia Consilium*, Celtica voce *Parlamentum* audit, ex *Clero, Nobilitate, & Populo* lectum, Regi insuper *Secretiori Consilio* assidente. In *Polonia Consilium*, vel ut illis placet, *Senatum* magnum conficiunt 142 Viri *Ecclesiastici & Seculares*. Regi *Sveciae* sui sunt *Consiliarii* Rex *Daniae* sua habet *Consilia Status, Bellicum, Justitiae, Cameralistarum, Cancellariae, atq; Maritimum*. Etiam Rex *Hungariae* suis gaudet *Senatoribus*.

Est in *Transylvania* quoq; *Consiliu Justitiae, atq; Intimu vel Status*. *Illud, Tabula Regia* nomine innotuit; & sicut apud Romanos *Judiciorum Consilium* erat *Centum-virale*, ita in *Transylvania* 17-virale, ubi Principis autoritate, jus atque justitia cuique redditur, levioribus tamen quaestionibus apud *Judices pedaneos* expeditis. Hoc, *Excelsi Gubernii*, membra *Consiliariorum* Titulo, sub *Clementissimis* Suae *Principalis Majestatis* alis *Politica, Oeconomica, expedit, quin & Justitiarum*; laesorum enim querela ex *Incluta Tabula Regia* ad eos, apud quos est potior summa rerum, magna cum utilitate provocantur: nam provocatione concessa, ipsi *Judices* tanquam *rationem superioribus* reddituri, *cautiores & justiores* fiunt; *Appellatione* enim causa ad novam *examinis* incudem revocantur. Interest etiam *Patriae*, ne tantum unius *Ordinis* *Judicum* odio, vel gratiae, sint *expositi* *Causantes & Patriotae*. Sic igitur *Majestate*, *communis juris fruendi, pacisq; causa*, a *Civibus* in unum collata, cum *imperare* sit *alea periculi & discriminis plena*, *Majestatis nomine* regendi, & suum cuique *tribuendi onus*, *Reges & Principes* spectatae *fidei* viris commiserunt, sicut *Sol* infra *Horizontem* existens *Lunae ac Stellis* concedit *vices suas illustrandi*: non existimantes *authoritati suae* hoc ipso aliquid *detractu* iri, cum *summum sapientiae argumentum* sit *prudens uti consiliis*; nihil etiam *authoritati* aequè *expedit*, quam quod *Cives* credant, se *consilio prudentum*, non *solis viribus gubernari*, & rem sibi esse cum *Principe*, qui non *impetu*, sed *Consilio* regat. Ex quibus *Sole* clarius innotescit, *Consiliariorum* *originem* *Majestati, seu Regis aut Principis, seu Optimatum, seu Populi* denominatione sit *clara, deberi*; ac proinde *Consiliarios* creatos a *Majestate*; & tantos esse,

esse, quantos illa voluit: *Consiliarii* enim, sunt *Ministri idonei, ad Rempublicam prudentia & consiliis iuvandam, ordinati*, qui si à sanctiore sint consilio, & arcana Reipublicæ expediant, olim *Amici Regum*, apud Græcos *Apocleti* dicti, hodie *Intimi* vocantur. *Consiliarii* mei itaque delineationem sic persequar.

*Cor utilitatis, & necessitatis causa, principalissima hominis est pars, unde Veteres dixerunt, primum movens, & ultimum moriens.* Facto itaque initio à *Corde*, *Consiliarii* nostri *Cor* erit *Iustitia*, tanquam perpetuæ famæ Principum fundamentum. Si non primum, non ultimum Principum munus est, jus reddere; *Iustitia* autem est *Utrumque audire*: nam si negare sufficit, nemo nocens, si accusare sufficit, nemo innocens erit. Antiquum fuit Judicium Juramentum: *Audiam accusatorem, & reum, a quo animo.* Ergo *Iustitia* præsupponit leges, major enim pars *Iustitia* in legibus est. Interrogatus Cyrus; quosnam putaret injustos? respondit: *Lege non utentes.* Leges sunt surdi & muti *Ministri*, Veteres tamen publicam Civitatis linguam appellârunt. *Consiliariorum* ergo erit, juxta præscriptum legum non tantum judicare, sed & vivere; melius enim iudicio Aristotelis esset, *Leges non esse scriptas, quam à Primariis Ministris reverentiam eis non præstari.* Optimæ Leges sunt quæ Statui accommodantur, & ex consuetudine petuntur, ut in Transylvania; quæ norma Legum, ostendit rationem varietatis Legum in diversis Regnis. Ergo *Consiliariorū* non est mutare Leges, quas Rex & populus æternas, & instar Oraculi habet: mutatio enim Legum facile obsequium excutit. *Cleonis* arcanum est apud Thucycidem, *præstat Rempublicam malis, quam mobilibus legibus uti*; non omnibus omnia conveniunt, licet optima sint; & pretiosissima pharmaca necant alios, alios præservant.

*Facile est, inquit Pindarus, cuius mutare Civitatis statum, sed turbatum componere solius Dei est*; simile illud: *Ipsa mutatio consuetudinis, quantum utilitate adjuvat, sæpè plus novitate perturbat.* Hinc etiam Magistratus in Transylvania, Sacramento juramenti devinciuntur, ad legum Patriæ observationem. *Solon* cum videret periculum mutationis legum, adegit Senatum, ut juramento polliceretur, se sanctè servaturum leges à *Solone* latas: quam legem, Venetorum Republica inviolabiliter tuetur. *Lycurgus* etiam juramento obstrinxit Cives, ne leges suas mutarent, donec Delphos ireret & rediret; at ille spontè, perpetuum in Creta exilium agens, cineres suos iussit post mortem in mare spargi, ne iisdem Spartam relatis, Cives hoc jurejurando se solutos crederent. *Polybius* disputat de causis, cur Carthago à Romanis deleta fuerit, Roma verò creverit? eamq; affert causam, quod Carthaginenses negligentius quam antea, Romani verò diligentius defenderint Patrias Leges. Odio etiam exponuntur Magistratus; si arbitrio eorum decidatur, quod legum

gum autoritate posset definiri. *Tiberius* apud *Tacitum*: *Non utendum imperio, ubi legibus agi potest, quia imperium persona est, & idè invisum, quia vis est.*

Frustrà *Leges*, nisi applicentur factis; quæ applicatio ut ritè fiat, ex facto eruendæ sunt omnes circumstantiæ vel minimæ, siquidem & minima circumstantia variet jus; ad trutinam verò circumstantiarum, requiritur exactissima *Prudentia* concludendi regnî negotia, avertendi discrimina, eventus observandi, ne prævisa jacula feriant. Ergo mei *Consiliarii* Caput erit *Prudentia*: ut enim in privatis innocentia, ad obsequium præstandum, sufficit, ità ex quorum vitiis, virtutibusq; resultat *Rerumpublicarum* fortuna, *Prudentiam* iis inesse necesse est. Ut caput regit functiones humanas, ita *Prudentia* *Consiliarios*. Homo sine capite truncus est; & sine *Prudentia*, tanquam norma agendorum nullum negotium rectè procedit.

Difficillimum est, prudenter actiones moderari; cùm enim causæ rerum sæpè occultæ sint, ægrè potest prævideri, quid magis expediat in quovis negotio. Et cùm nullus sit fixus rerum humanarum status, pendeatq; à diversis circumstantiis, non cujusvis est certam *Prudentiæ* statuere Normam. *Prudentis* est, rem ipsam scrutari, non simulachris inescari; ne vel minima circumstantia vitiet actionem. *Prudentiæ* est, vires cum rebus agendis componere, neq; *Consiliarii* munus prius ingredi, quàm experimento constet, se idoneum esse rebus agendis; *Augustus* enim impares negotiis Senatu movit. Si privatum peccantem ignorantia juris non excusat, quomodo excusabit publicum Ministrum? Magnæ *Prudentiæ* est, pœnas & præmia moderari; illæ enim cum odio, hæc cum gratia Imperantis, junctæ sunt. *Prudentia* est, ad præveniendos graviores motus, videri potius invenisse bonos, quàm eos qui peccârunt pœnis bonos fecisse, innuit non nemo; sæpè enim pœnis redduntur deteriores; si eæ sæpè quasi incognito facinore negligantur, sponte ad frugem redeunt peccatores. *Prudentiæ* est, cùm metus est gravioris morbo *Medicinæ*, pœnitentia potius quàm pœna contentum esse, pericula enim non nimis metuere magnanimi, sed non contemnere *Prudentis* est. *Prudentia* est, severitatem cum clementia, timorem cum amore ita temperare, ut in balance æquilibrium constituent. Gloriosæ memoriæ *Josephi I. Regis Hungarorum* Symbolam fuit: *Amore, & Timore*. Aurea *Diocletiani* vox: *Nihil difficilius esse, quàm benè imperare*, quod regit *Prudentia*; cujus Hieroglyphicum apud *Ægyptios* erat: *Oculus Sceptro insidens*; quod enim acies videndi in oculo, hoc *Prudentia* in Imperante, quæ ex præteritis cognoscit futura, & ex utrisque consulit, quid præsentî statui utile foret.

*Prudentia* usus est, in applicatione Universalium ad singulares actiones; cùm itaq; capiti natura binas contulerit aures, easque patentes, tanquam

sensus Disciplinæ, & fermocinationis media; ita *Consiliario Aures* erunt *Doctrina* & *Experientia*, sororia ex cognatione arcto vinculo nexæ. Sine alis, utut per naturam inclinata, nulla volat avis, ita quòd natura hominibus contulit, *Doctrina* perficiendum est. *Nemo dat quod non habet*, nemo novit artem imperandi, & consulendi, nisi prius didicit. Ergo *Consiliarii* est, nosse vicinarum Gentium mores atque vires: nosse Rempublicam quam administrat; unde creari solent non tam digni quàm digniores; si enim Gubernator navis fortiores sibi procurat Remiges; si Belli Duces bellicosiores conducunt milites; si patientes peritiores advocant Medicos; tanto magis Princeps eos legit *Consiliarios*, qui subsellia, non hæc ipsos ornent. *Plutarchus* in *Mario Coriolano*, & *C. Mario* summis alioquin Viris ostendit; si Musis Gratiisq; litassent, turpem rebus suis exitum non dedissent. Non commendo *Doctrinam*, cujus specie non Prudentia, sed calliditas & astutia inimicæ *Consiliario* latitant; verùm quæ Reipublicæ, nunc emolumenta, nunc impedimenta penetrando, quod utile est suggerit. Recommendarem *Consiliariis* avidis *Politicam, Historiam, Geographiam, Geometriam, Architectonicam, Mechanicam, Ethicam*, & quod primùm dicendum erat *Theologiam*, nisi metuerem Auditores ob tædium audiendi, tanto magis discendi, fuga sibi consulturos.

Non me latet, quosdam studiis innutriti; at cum *Seneca*, nec diffiteri possum, plerosque nostrum hodie tanta intemperantia literarum laborare, ut: *non vitæ, sed Scholæ discamus*. Multi enim in umbra studiorum educati, ad res gerendas evadunt parum idonei, siquidem contemplationibus & inutilibus altercationibus abrepti, eorum quæ aguntur incuriosi sunt; hinc est, quòd *Grotius*, cæterum Vir in omni Scibili versatissimus, *Carolo Gustavo* super studiis literarum perficiendis, ita responderit: *Id fastigii homines, non diu literis incumbere, sed rebus gerendis dare se oportere*. Scholastica solis speculationibus contenta doctrina, ut est in Proverbio: *frigidior est Platonis legibus*, quas Athenienses Cives nihili fecerunt; nam, verba sunt *Athenæi*, videtur *Plato* non hominibus, qui ubivis sunt, leges præscribere, sed iis quos imaginatione finxit; ut qui legibus ejus paruisent, primùm perquirendi fuissent. Decet enim, ut *Aristoteles* monuit, non solum id, quod optimum est, contemplari, sed id etiam, quod constitui possit. Cui enim usui hominibus *Reipublica Platonica, Campanella Civitas Solis, Mori Utopia, Anonymi Historia Sevarambes?* frustra quis novarum rerum studio tenetur, ambitq; id, quod optimum quidem ex voto, sed Reipublicæ status fieri non permittit.

Referunt etiam Historiæ, multos sine *Eruditione* soli innixos *Experientiæ*, optimè Rebuspublicis consuluisse, & *Doctrina* claris actuosiores fuisse: verùm cum id perrarum sit, naturæ singulari capacitati, vel subjectorum prompto obsequio, tribuendum est; certè tardum & instabile est, quod *Usus* docet. De-

exteram itaque *Doctrina Experientia*, & *Experientia* sinistram *Doctrina* jungat; illa enim hujus est complementum, hæc sine illa, nulla in rebus agendis; multa non patiuntur se præceptis includi, sed ab accurata circumstantiarum consideratione: unice pendent, ut rectè ab Aristotele sit observatum: *Multa nos scire universim, quæ singulatim ignoramus, quoniam circa singularia, non circa universalia, oriuntur motus illi, qui vim judicatricem perturbant. Experientia* verò est rerum singularium, quibus cum non insit omnimoda necessitas, sæpè prout res sunt, mutanda consilia, nec ulla præcepta semper valent, ut dixit *Spinola* apud *Grotium*. Sæpè generalia præcepta *Scientiæ* in particularibus falsa existunt. *Scientia* quidem, semper justis & æqui regulas præscribit, sed easdem observari, sæpè vel ingenia, vel tempora, vel loca prohibent; hinc tot diversæ imperandi rationes, & leges Civiles enatæ. Quædam Gentes sunt libertatis amantissimæ, quas amor regit; quædam libenter servitutem patiuntur, ut Orientales; ob idque Reges pro imperio, vel pro voluptate cuncta faciunt. Diversa populi studia, diversusque loci situs, faciliè nomen Imperiorum mutant; Gallicus quidam Scriptor optimè constitutas, tutasque Helvetiorum & Batavorum Respublicas opinatur, donec natura montes sustulerit, & Oceanum alveo suo derivaverit.

Imperantis est, subditorum nosse inclinationes & ingenia. Hispania Belgium amisit, propter imperium incolarum genio, & libertati non accommodatum. *Tacitus* conqueritur, Romanos Britanniam excidisse, quia mitius eas Gentes tractarunt, quam ferocia eorum ingenia postulassent. Sæpè quod in speculatione bonum, usu malum esse potest; & quod usu hic bonum est, ibi malum esse potest. Non omne bonum semper & ubique bonum. Typographia apud nos inæstimabilis est usûs; at in Turcia infinitæ hominum libris describendis destinata: myriades, fame perirent. Romæ quidam vitri ductilis & non frangibilis rationem invenit; ejus tamen officina, nè aliis vitriariis quæstus eriperetur, deleri debuit. Carthaginem Romæ æmulam, dein devictam, quidam Romanorum excindendam consulebant, nè reparatis viribus opprimeret; alii relinquendam contendebant, ut Romanæ juventuti labor & metus relinqueretur; sed excisione securitati potiùs, quam moribus prospiciendum esse, consultè judicatum est.

Ex his innotescit: (1) *Cum leges Naturæ, Populi & Reipublica forma accommodanda sint, non omnibus populis & hominibus easdem leges convenire.* Inordinatus populus, non faciliè perfectissimam legem tolerabit, neque tamen illam malam, potiùs Statui præsentis convenientissimam dixeris. Contractus Itolorum, qui non facilius contrahunt, quam Regiis corruptis fallunt, vel minima solemnitate destituti, nulli sunt; in Belgio, etiam inter pocula initi Contractus

tractus valent, sed non ultra sequentis diei matutinam horam. In Aristocratia & Democratia *Ostracismus* inventus est, conservandæ publicæ libertati & æquitati; verùm in Monarchia facilè quis exorbitationem Tyrannidis interpretari posset. Ut pauperes eò faciliùs Creditores inveniant, vix in Europa majus Interesse pro pecuniis penditur, quàm in Transylvania; at in Belgio ob copiam pecuniarum, Creditorumve, non decima, sed trigesima tertia pars cedit Creditoribus. Majorum nostrorum ætate, in bonis mobilibus Nobilium Transylvanorum, non succedebat sexus Fœmineus, bona enim possessionaria Hungarorum armis acquirebantur, & conservabantur: at diversa fuit ratio eorum, qui Civitates incoluerunt; Mechanicis enim artibus & mercaturæ dediti, armorum fuerunt incapaces & rudes; ac proinde cessante in ipsis eadem ratione legis, hujus quoque diversa fuit dispositio. Fures in Transylvania non duplum, triplum, aut quadruplum persolvunt, in restitutionem & compensationem damni, sed ipsam vitam impendunt; nisi enim ingravata fuisset pœna ob perversitatem incolarum, & vicinarum quarundam gentium, nulla securitas in patentibus pagis, atque longè diffitis campis, sylvisque foret. Nisi tempus deesset, jucundū hic esset Legum Transylvanicarum æquitatem ob oculos pandere, easque ab aliarum Rerumpublicarum legibus, ob genium incolarum, loci naturam, consuetudinesq; radicata, jurè meritoq; recedere.

2. *Nisi Consiliarius Experientia annexam habeat Doctrinam, mutato statu, tempore & ingenio, quomodo se componet?* Sic Græci olim sapientissimi, nunc rudes habentur. Ingeniis ita imperandum, nè imperium sufflaminetur. *Sit temporis providus:* cum enim res devolvantur in orbem, Oculum in venturas dirigat; id Senator Hispanicus admiratus est in suo Rege *Philippo II.* ut regnum ejus facilè eò decedente administrari potuisset, ita sua disposuerat consilia in futurum.

3. *Summa est difficultas consulendi,* tum quòd multis involvatur casibus, tum ob magnam eventûs atque successuum incertitudinem. Neque tamen existimes, nulla arte atque prudentia, sed mero casu consilia dirigi, diuturna enim experientia instruit ad ea rectè formanda; quod præclare Livius: *Hoc illud est, præcipuè in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri, unde tibi tuæq; Reipublicæ quod imiteris capias: inde sædum inceptu, sædum exitu, quod vites.*

4. *Exemplo Romana gentis, altiores gradus per inferiores conscendendi sunt;* maximi honores tentatis primum minoribus sperandi, is enim dignè majores administrat, qui minoribus innutritus, majoribus parem se ostendit; exemplum enim minoris, majoris tamen proximæ curæ probè gestæ, spem facit majora negotia feliciùs exequendi. *Augustus, Tiberium ante Imperium, Imperii*

perii curis affvesfecit; Romanorum adilitia potestas & quaestura, rudimenta erant reliquorum Magistratum, & quoddam quasi indolis spectaculum, nè scilicet cum detrimento Reipublicæ deinde errarent. Apud Tacitum Cerialis sic Agricola instruxit: ut *primò ei, modò labores & discrimina, mox & gloriam communicabat, sepè parvo exercitui in experimentum, aliquando majoribus copiis ex eventu praefecit.* *Experientia* est præteritorum discipula; futurorum magistra; qui sapius mare transmisit, scopulos evitat; per ipsa naufragia didicit cautius navigare. Assequuntur cum *Mitridate* usum benè svadendi, qui per utramque jactati fortunam, vicissitudine rerum sunt fatigati.

Temperabit verò *Rationem* cum *Experientia*, *Scientiam* cum *Uso Consiliarii*, si fidelitatem Principi debitam, cum salute Populi continuò aspexerit. Ergò *Oculi Consilarii* erunt, *Fidelitas erga Principem*, nec non *Salus Populi*. Ut in capite Regiam oculis natura ordinavit, tum ob necessitatem, tum ob utilitatem; ita *Consilarii* principale munus est, nè fidelitati Principis, *Salus Populi*, neque huic illa postponatur; sicut ex naturæ instructione, uno vidente oculo, videt & alter. *Fides* integerrima, nec opes, nec gloriam alibi quærit, quam in commodis sui Principis, ad salutem Reipublicæ intenti. Princeps enim non vult Rempublicam evertendam, & Respublica tota pendet à suo Principe. Nulla re potiùs alteratur *fides*, & nulla probatur magis, quam in administratione & dispositione *utilitatis publicæ*, quam sæpè intervertit cupiditas auri & argenti. *Fidelitas* fidem Regiam non metitur ex magnitudine fortunæ: imperia enim magis fide, quam opibus & amplitudine steterunt. Integer non est, qui non est totus Principis: *fides* enim in materia Statûs una, & indivisibilis est. Rectè ille: *Ex sola inclinatione partiali ad aliquam coronam externam, mihi statim suspectus redditur Minister.* Non datur hic parvitas materiæ. Plinius ait: *Optimum quemq; fidelissimum puta.* Sophocles: *Improbam in mentem, bona Consilia non cadunt.*

*Utilitas* non est postrema causa Imperiorum: cum enim singuli divisim non essent pares suis commodis, sed injuriis paterent, unius cujusq; fuit ut plures convenirent; privata itaq; publicis præponere commodis, officit publicis consiliis; ipsi enim *Consilarii* sunt Reipublicæ Tutores; neq; sui, sed communitatis bono, teste *Aristotele*, à Principe lecti. Apud *Thebanos* lege fuit cautum, nè ad jus dicendi officium Mercatores admitterentur, nisi prius per decennium, à commerciis propriæ cupiditatis ministris, abstinuissent; quæ fortè ratio esse posset; cur olim ignobiles habitii Mercatores. Nulla felix Respublica, in qua oculi *Consiliorum* in salutem populi non sunt intenti. Vel Imperatores: *Tiberius, Trajanus, Hadrianus, Vespasianus* non postposuerunt utilitatem communem, tanto minus debent *Consilarii*, hunc in finem

creati;

creati; nulla enim in eo erga Principem *fidelitas*, qui vellet destructam tri Republicam. *Basilius* Imperator visis Civium lachrymis ob caritatem annonæ, Praefectos civilibus negotiis dignitate amovit, quod tantæ indigentiae se non fecissent certiozem. *Tacitus*: *Pessimum veri Judicii venenum sua cuiq; utilitas* Sapè tamen sub augusto *utilitatis publicæ* prætextu, privata latet. *Utilitas publicæ* fundatur in *lege fundamentali*, & ex ea mensuram accipit: qualis in Germania *Aurea Bulla*, in Gallia *Lex Salica*, in Transylvania *Unio*.

Infelix illa Respublica, in qua Magistratus sunt avaritiæ & lucri mancipia! Ergò *Manus Consiliarii* erunt: *Ne sint venalia jura & officia*; aut si velis: *Munera nec dabit, nec accipiet*. Pessimi qui pro jure munera acceperunt, suspecti qui dignitatem pretiò emerunt; sine dubio, ut vendant eorum exercitia, ad recuperationem impensæ; dignitates enim non opum, sed virtutum sunt præmia *Martialis* dicentis est jocus: Civem quendam omnia vendidisse & emisse. *Vultis*, inquit, *scire, quare omnia vendat? quia omnia emit*. In Gallia omnia officia plurimùm offerenti vacant, ut & apud Venetos tempore necessitatis bellicæ; at translatis omnibus dignitatibus ad divites, an divites semper apti publicis? an semper meliores & aptiores aliis? Non Magistratus creasse, sed benè & dignos, cedit utilitati publicæ. Si officia sunt venalia, & fides & justitia; exulat justitia, clavum imperii moderante auro, cùm non virtus, sed opes Viros efficiant. Proxima exitio illa Respublica, in qua Justitia ad arbitrium Judicum damnata, ut ad Byzantini illius *Iti*, qui an superciliosè, an plus quàm iniquè respondit: *Byzantiis legem talem esse, qualem ipse vellet*: Nunquam lites *Astrææ*, & *Medææ* terminabuntur; hac Præside, illa cœlestes sedes repetere cogitur; quid enim *Astræa* sine *Codice*, *Digestis*, *Pandectis*, *Novellis*? quid Justitia sine *Tripartito*, *Approbatis*, *Compilatis Articulis*, nec non antiquo Jure Patriæ Consuetudinario? Quid mihi cum Justitia, quid Justitiæ mecum, si id justum quod malignantium hominum commenta tale pronunciant? Nunquam satis deplorandum Statum! in quo auream pecudem satis inverso, certè subverso rerum ordine, cœlesti sed inculpatæ Virgini præmittunt. Qui suo quæstui lucrisq; inhiat, quæ apud ipsum Legis reverentia? quis Reipublicæ amor? quis metus Principis? qui enim animam venalem habet, minus parcat Regi, & Reipublicæ. "Auri splendor acerrimus est: vix incurrit oculos, jam animos corripit; sed ubi illuxit oculis, extingvit judicium: cave dolosum latronem, primò jugulum petit; ubi in sinum irreperit, venalem vocem prostituit; lupi sequitur naturam, ubi apparet vocem eripit; cave manus extendas, irrumpes in vincula. Hinc jam Principes, nè vel rapinâ, vel aratio Principis, vel sanguine pauperum, Magistratus sustentarentur, annua ordinarunt stipendia.

*Isocrates* dicit apud *Xenophontem*: *Prima hac ordinanda Reipublica ratio, si de publicis negotiis deliberaturi eos in consilium adhibeant, quibus in privatis rebus nullos anteponeant.* Cura namque rerum privatarum multitudine solùm, à Reipublicæ gubernatione differt. Qui suis rebus malè prospexerit, nunquam consulat alienis.

*Nondum Consiliarius: Restant pedes. Consiliarii itaque pedes erunt: Festina lentè, quod erat Augusti Symbolum. Livius: Nihil magni discriminis consiliis tam inimicum, quàm Celeritas. Tacitus: Scelera impetu, bona consilia mora valescunt. Bias interrogatus, quis esset optimus Consiliarius? respondit apud Stobæum: Tempus. Tempus est maximus rerum ferè desperatarum medicus. Qui tempus habet, habet vitam; & hoc maximè obtinet in statu turbato. Nisi Cambyses accelerasset expeditionem contra Æthiopes, Lucani versibus non vapulasset. Cunctationis bona, licet prima fronte lateant, progressu tamen temporis patent, præcipitis enim consilii, comes est pœnitentia. Rectè etiam Mantuanus: Utile non est, Consilium post facta dari, quod oportuit ante. Consilium post facta, imber post tempora frugum. Calida consilia rarè felicia. Cæsar Imperator nisi quosdam jussisset celeriter interfici, postea eos non desiderasset. Veneti nisi festinassent in tollendo eo, cujus manus proditoris subscriptioni fuit similis, innocentem non sustulissent. Celeritas in Duce sæpè summa laus est, in consilio sæpè summum vituperium. Dua res, inquit Thucydides, maximè obstant bonis consiliis, Ira & Festinatio. Impedit ira animum, nè possit cernere verum, inquit Horatius. Festinatio autem cæca & præceps est.*

*Festina lentè; ergo nec festines, nec procrastines; sed festines ut tardus non sis, ita tardaveris ut etiam festines; satis celeriter fit, quicquid in tempore fit. Dum ferrum candet, cudendum est. Rerum agendarum occasio, facile manibus evolat. Barbarum illud certè verum: Donec prudentes prudentaverunt, stulti arcem acceperunt. Nec cunctator Fabius rem Romanam restituisset, nisi accessisset Scipionis celeritas. Ergò lentè deliberata, celeriter exequenda sunt; non enim necessaria rebus gerendis celeritas improbat, sed temeritas & præcipitantia.*

Eheu! Dii immortales! *Lingva* sui erat oblita; curiosa aliorum membrorum sui negligens! enarrando membra *Consiliarii*, se silentio involvit; red-eas itaque in mentem, & *Consiliarii Lingva* sit *Secretum*. Atqui lingua ad loquendum, non ad tacendum? verùm loqui naturæ est, & omnium; tacere verò virtutis, & non omnium. Natura duplici intervallo dentium & labiorum inclusit linguam; & consilium dicitur à silendo, quod consilia Principum silentii velo tegi debeant, unde & *Senatus-consulta Tacita* vocabantur.

Silentium tutissimum rerum administrandarum vinculum; non magna res sustineri potest ab eo, cui tacere grave est. *Consiliarii* Regum in *Persia*, ubi etiam Numen *Silentii* fuit cultum, summa fide celant arcana; *Romanae* leges enunciatores consiliorum capite plecebant; *Lex Aegyptiorum* linguam eradicabat. Consiliis cognitis facile ea praeveneri, quin & sufflaminari possunt. Optimi *Consiliarii*, de quibus id dici potest, quod *Euripides* cuidam, graveolentiam oris sibi objectanti respondit: *Multa in eo secreta computruisse*. Quò secretiora, eò meliora consilia; nemo enim Regibus magis exitio esse potest, quam si aperiat Consilia; siquidem notante *Forstnero*, ut cuniculi, maximum in rebus bellicis momentum, detecti nocent, ita Principum consilia in vulgus variabile edita, & non qua decuisset Religione habita, hostes potius, quam illos instruunt.

*Lingua liberè est volubilis*. Ergò *Consiliarius* in consilio loquatur, verum nullius sententiæ serviliter sit obnoxius; quamvis à plerisque ut pro melioribus habentur, qui ad voluntatem magis accedunt, magis volentes decipi, quam non ad gustum svaderi. Non consulat Regi svavissima, sed optima; *neve potius*, ut *Tacitus* loquitur, *cum fortuna Principis loquatur, quam cum ipso*. *Lingua Consiliarii, ergastulo metus non sit vincula*: ubi enim pra foribus vigilat metus, quis svaserit, siquidem svasisse periculum sit? *Tacitus detestandos illos Consiliarios innuit, qui veri copiam non faciunt, sed suspensa & quo ducantur, inclinatura respondent*.

*Lingua est mobilis*. Ergò *Consiliarius* non erit in suis inventis pertinax: in hoc enim vasto & procelloto Republicæ mari, velificandum est tempori, occasionibus, quæ mutatio non levitatis, sed necessitatis erit testimonium. *Seneca*: *Non est turpe cum re mutare consilium*. Et *Cicero*: *Non est inconstans, sententiam tanquam aliquod navigiū, è Republicæ tempestate moderari*. Et *magnus quandoque dormitar Homerus*, quia etiam raræ gentes, rara secula pariunt ingenia *Consiliariorum Universalia*; ut *Græcia Alcibiadem*; *Roma Scipionem, Pompejum, Julium Casarem*. Unde *Cleonis* illud dogma fuit: *Media ingenia si cum magnis conferantur, Republicam plerumque melius administrare*; hæc enim ut vincant suffragiis, non quod Republicæ, sed quod victoriæ profit, attendunt; illi veò cum propriis suis inventis diffidant, æqui potius Republicæ æstimatores, quam athletæ. Hinc rarè uni *Consiliario*, ut *Mazarino, Richelio* in *Gallia*; *Duci de Buckingham* in *Anglia*, res agendæ committuntur; nè scilicet *Sejanismus*, ut sub *Tiberio*, non tam *Sejani* solertia, quam Deum in rem Romanam ira, cum exitio invalescat.

Ex dictis spontè sequuntur: *Consiliariū esse Furisconsultū*, quomodo enim de jure responderet, nisi gnarus juris? quomodo pupillis, orphanis, vidua-

bus,

bus, peregrinis, potentibus, & pauperibus jus æquumve diceret? *Consiliarios* juris & æquitatis causa constitutos probârunt *Herodotus*, *Homerus*, *Cicero*, cui dispenlandæ inservit *Jurisprudentia*. At non sufficit tantum *Tripartitum*, *Approbatas*, *Compilatasque Constitutiones* nôsse, quas ignorare & pedaneis Judicibus ignominia est; pro magnitudine autem curæ non tantum suæ Patriæ Leges, & consuetudines nôsse interest, verùm & vicinarum; ita tamen vicinarum, ne hospes sit in Patria: Patriam nôsse & apud exteros fuisse delectationi est; *Ulyssæ* prudentiæ causam *Homerus* nonnisi peregrinationem assignavit. Lacedæmonii *Apollinem* sapientiæ Præsidem, quaternis manibus, totidemque auribus instruxerunt: quo innuerunt, tunc demùm aliquem prudentem fieri, cùm multas res viderit & audiverit. Instituta enim, Leges, Jura, ritus gentium, mores & consuetudines hominum, statuta Civitatum ingenium acuunt, judicium formant, & ad prudentiam multum ponderis adferunt; at *Catoni* risum, *Democrito* lachrymas excuteret vana eorum peregrinatio, qui plerò ore nonnisi ea referunt, ubi *Apicii* culina fuerit, ubi *Messalina* fornix? quot stillicidia Amstelodami, Romæ? &c. cujus equus *Alexandri*, Thessalus an Numida? Anglus an Hispanus? an vinum Falernum Tokajense, an Hispanicum, an Canarienses lachrymæ excellant? Ah! Ah! *Auditum admissi risum teneatis amici.*

*Consiliarius est Politicus*; qui Regnorum formas distingvere, quidve huic magis præ alia conveniat, pervidere possit; cùm enim pro diversis Rerum-publicarum formis, diversa jura legesque constitutæ sint, infinitum errabit errorem, qui omnia jura omni Republicæ commoda judicaverit. *Jurisprudentia*, & *Politica* sunt affines Disciplinæ. *Jurisprudentia* itaque est definire, quid sit justum & æquum; *Politica*, quid Republicæ conveniat, usui sit, & expediat. Apage ergo illos *Politicos* ignaros, & *Pseudo-Politicos*, qui *Politiam* in eo sitam autumant, si quis ad omnium voluntates se accommodare; technis alios deludere; aliud corde, aliud ore premere; manu alterâ aquam, alterâ ignem tenere, queat. Tales enim, duntaxat nomen *Politici* suffurantur, revera tamen *Pseudo-Politici*; quorum præ foribus excubias agunt, vel etiam intimæ admissionis ministri sunt *Vis & Fraus*, *adulatio & assentatio*, procul remotæ à foribus genuinè *Politici*.

*Consiliarius est Historicus*; qui non tantùm intra Rempublicam, sed & alibi gesta memoriâ tenet. Si quid Prudentiam instruit, si quid consilium format, *Historia* est; quæ non unius gentis, non unius urbis, non unius seculi, res gestas in Theatrum producit, Regnorum arcana pandit, archiva referat, arbitrumque secretorum constituit. Ductu *Historiarum Rubiconem* trans cum *Cæsare*; eum comitaris cum *Pompejo*; *Carthaginem* excindis cum *Sci-*

*pione*; alpes penetras cum *Annibale*; pacis bellicue conditionibus interes, legationibus defungeris, in Senatu peroras, in Tribunali iudicas, in præliis accipitem fortunam miraris, dubios eventus observas, Urbes obsides, Imperii habenas moderaris, exempla virtutum & vitiorum in Tabella conspicias; quo respectu Imperator *Alexander* Consiliis, Historiæ gnaros adhibuit; ad publica enim consilia rerû gestarû Historias utiles esse, jam dudû observaverat *Consiliariorû* itaq; *Consiliarios optimos, mortuos esse* debere, dixit *Alphonsus Siciliae Rex*, id est, *Historia* libros, illi enim liberè & sinè fuco consulunt.

*Consiliarius est industrius, non otiosus. Nullus socors celebris vir est*, ait *Epaminondas*. Tribuno plebis vel unicum diem Urbe Roma abesse non licuit, ne querulantibus deesset. *Consiliariû* omnium otium suo labore; somnum suâ vigilantia reparant. Labor actio corporis, industria animi, neutrum sine altero. Industria sine labore in fraudes, dolos degenerat; labor sine industria carduos germinat.

*Consiliarius tam procul abest ab affectibus & passionibus, quam prope a Rationem*. Affectus verum non peripicit; quod debet potius aufert, quam tribuit. Id *Alphonsus* sapiens in Curia Romana desiderabat, quod tam longè distitum fuerit Templum *Jovis Statoris*, ut Consules Curiam ingressi, intueri non potuerint ad affectus deponendos; Agrariæ leges *Gracchi* tanquam ab affecta profectæ, nunquam in Republica Romana obtinuerunt. *Tacitus* laudat *Agricolam*, quod à domo sua exorsus fuerit disciplinam; ne videretur non tam causa, quam exemplum legis in se, & suis esse. Rectè aliquis, *Magna pars Prudentiæ moderatio vindictæ, contemptus injuriarum, dissimulatio in offentes, & in offensos prudens observatio*; feliciores enim successus veniæ, quam vindictæ *Historiæ* referunt.

*Consiliarius est atate maturus, non juvenis*: Senatus enim à *Senio*. Juvenes autoritate destituuntur, quæ tamen in consilio aliis dando, plurimum habet ponderis. Prudentia est inter Principes *Consiliariû* virtutes, quæ in juventutem non cadit; cujus proprium est temerè, audacter, confidenter omnia agere. Unde illud *Hæbessinorum* Proverbium: *Consilium Senum, Bellum Juvenis*. Vulgatum etiam Proverbium: *Plus valet umbra Senis, quam gladius*. *Roboam* ex consilio *Juvenum* amisit partem populi. *Xerxes* si *Arzabani* Senis consilio aures non præclusisset, vitæ & fortunarû discrimen non incurrisset. Rex *Agamemnon*, apud *Homerum*, ad diripiendâ Trojam, maluit sibi decem *Consiliarios Nestori* similes, quam decem *Heroës Achilli* aut *Ajaci* similes. Olim Romæ nemo Consul ante 44 vel 42 annos, creari poterat; leges enim maturum videntur postulare iudicium: Juvenes verò mobilibus, & fluxis sunt ingeniis. Nonnunquam tamen & Juvenes Senibus æquiparantur, rerum

serum cognitione & experientia : si itaque Juvenem excellentem Virum esse contingat , magna veneratione dignus est ; & quantum ejus ingenium futurum longo tempore exercitatum ? Paraphrastes *Aristotelis* causam reddit, cur Juvenes facilè in Mathematicis excellent , non autem sint prudentes & Politici : *Scilicet, quòd singularium est Prudentia, quorum cognitionem suppeditat experientia. Experientiam autem Juvenis non habet, quia multo opus est tempore, ut eà praeeditus sit aliquis. Sine materia autem Mathematicorum sumuntur principia, ac proinde singularium in iis non requiritur cognitio. Rectè aliquis Oratorum: Ignea Juvenum ingenia plerumq; fumis occupantur, magnificis intenti negligunt securiora, speciosis illecti utilia non discernunt. Senum circumspècti est meditatio, ubi juvenilis deserbuit astus, tranquillior residet sapientia, ad duriora allissi sapius, securiorem calcem observant.*

Non jam exspatiabor in laudes ILLUSTRISSIMI DOMINI, Dñi MICHAELIS SIMON de DÉSFALVA, satis est laudum, dixisse *Consiliarium* fuisse, & quidem Suae Sacratissimae Caesareae Regiaeq; Majestatis, & quod mireris decursu Anor. 26. Nam A. 1697. 16. Nov. ingressus Viennae Austriae, Inclytam Cancellariam S-mae Majestatis Aulico-Transylvanicam, *Registratoris* sub Titulo, *Consiliarii* vices gessit; usquedum A. 1713. 30. Jun. ex gratiosa Suae Majestatis collatione, digna fidelium ejus meritorum consideratione, tunc erectum Excelsum Neogubernium, ut *Inimus & actualis Suae Majestatis Consiliarius* ingrederetur, eo verò egressus est eodem Mense, quò primum *Consiliariatum* ingressus fuerat; durante scilicet *Termino Octavali* A. 1723. 27. Nov. post graves summa cum industria, circa Patriam exantlatos labores, se ad quietem composuit, Anno sui Gubernialis *Consiliariatús* 10-mo completo. Tanto ergo oneri ferendo ut par, laudibus verò meis ut major fieret, 27 annos studiis consecravit, non tam Scholasticis, quàm Patriae necessariis; non tam otiosis, quàm utilibus. Humanioribus enim literis relictis, manus & animus sacramentum dixerunt Inclytis in Transylvania Cancellariis; primum Minori, sub Spectabili ac Generoso quondam *Joanne Kendi*, altero per Transylvaniam dignissimo Magistro Prothonotario; dein Majori Aulico-Principali, Serenissimi quondam Principis *Michaëlis Apaffi* Senioris, sub regimine Illustrissimi quondam Cancellarii *VVolfgangi Bethlen*; utrobique non inutiliter spatio unius lustris, navante operam.

Sic itaque se colendo & excolendo indefessa diligentia, non injuriosus Inclytus Comitatus *Küköllö* in ejus merita, laborum praemium obtulit *Notariatum*: dein tanquam altiorum capacissimum, interesse putans Comitatus, ut omnibus bonis aditus pateret ad dignitates, Supremum *Judicem* creavit. At cum meritorum ejus unus non fuisset capax Comitatus, nè in uno Comitatu ejus delitescerent virtutes; sed septem Transylvanicae Comitatus, septem Se-

des Siculicales, tōridemque Saxonicales, prudentibus ejus consiliis illuminarentur; imò nē sola Transylvania merita clauderet, Sacra Cæsarea Regia ac Catholica Majestas, suum in Aulico Transylvanica Cancellaria *Consiliarium* resolvit. Certè dignus istis majoribus, qui in minoribus dignum se majoribus præbuit. Voluit itaque Sua Majestas, & Patria, ut non tantum illis dignitatibus immoreretur, in quibus plus laboris quam gloriæ esset; non tantum discrimina ferret, sed & culmen honoris conscenderet. Felix illa Respublica, felices illæ Civitates, in quibus is demum majoribus dignus censetur honoribus, qui in minoribus est exercitatus! Dignitatibus enim admodum, è re est & inferiorum officiorum, quorum provocatio & revisio apud superiores, gnarum esse. Saltus in dignitatibus metui discriminis expositi. Redit *Tiberius* apud *Tacitum*: *Insolescunt præmaturis honoribus Juvenum animi.*

Juxta illud consilium *Catonis*: *Interpone tuis interdum gaudia curis, Ut possis animò quemvis sufferre laborem*; publicis à negotiis divertit ad Matrimoniale Societatem, ut gravioribus etiam in curis animus non esset jucunditatis expers; at quantum ex felici Matrimonio jucunditatis, tantum doloris amissa altera partium! Ducta enim Spectabili ac Generosa quondam *Virgine*, in lectissimam *Thori* sociam, Spectabilis ac Generosi quondam *Pauli Thordai de Désfalva*, nec non Spectabilis ac Generosæ quondam *Juditha Bedö*, Filiæ *Annæ Thordai*, & quanta cum mæstitia, mors post brevissimum 6 annorum interusurium amoris divisit, & Filiolum biennem *Michaëlem* vidui Parentis gremio subduxit! novo dolore, instar undæ undam propellentis, dolorem ita insequente, ut nisi unice dilecta Filia *Juditha*, delictum & spes Parentis supervixisset, plus tristitiæ quam lætitiæ isti Matrimonio fortuna inuffisset! at faventibus Superis hæc eadem Spectabilis ac Generosa, sed nunc certè mœstissima *Juditha Simon*, nupta Spectabili ac Generoso *Nicolao Färmi de Déllö*, nunc pullato, jam sæcunda prole beata; quatuor Nepotes, *Susannam, Michaëlem, Nicolaum, Juditham*, Illustrissimo Parenti, quin & Generum Spectabilem ac Generosum *Stephanum Suki*, non improlem, obtulit.

*Post nubila Phæbus.* Quatuor annis Viduitatis elapsis, A. 1694. duxit non tam *Thori*, quam *Viræ Sociam*, & apud exteros indivisam, olim & nunc Viduam, *Illustrissimam Dominam CHRISTINAM HORVÁT*, quæ sine hærede sola, pullata veste, oculis madentibus gravissimo dolore luget, & rigat tristem dilectissimi, spatio 30 annorum, Mariti sarcophagum, cujus exangve corpus vel vidisse invidebant Fata; publicis enim negotiis *Claudiopoli* immortuum, non nisi Feretro inclusum, naralibus reddiderunt laribus

Non hic emendicabo gloriam piè defuncto, ex clara Majorum memoria; non hic Vobis pandam fumosos Avorum Titulos; non suffurabor ex Majorum

rum meritis, ut momentum suis addant; ejus enim merita posteritati intrepido pede imitanda nullis, nulliusq; indigent facinoribus; si quo enim pondere ex prædecessorum gestis fama ejus egeret, non negligerem, *Illustrissima* quondam *Apaſtana Familia* inferere, & inde Theatro exponere, *Speſtabilem* ac *Generoſum* quondam *Chriſtophorum Gleſan*; qui non ſecus ac *Milo*, uno ictu Taurum, Turcarum Athleram contra Hungaros publicum, lethali caſu non tam terræ proſtravit, quàm illiſit. Si quid meritis ejus conferret, iterum ſiſteſem in *Inclyto* hoc *Comitatu* benè meritos, & officiis ſuis dignè defunctos ejus *Majores*; verùm cum majora ejus fuerint merita, quàm ut aliis meritis vel laudibus increſcere debeant, producam tantùm *Speſtabilem* ac *Generoſum* quondam *Chriſtophorum Simon*: nec non *Speſtabilem* ac *Generoſam* quondam *Annam Székely*, tanti Filii, & aliorum liberorum, *Joannis*, *Georgii*, ac *Catharina* Parentes. *Speſtabilis* ac *Generoſi* quondam *Georgii Simon*, non niſi Filii, *Speſtabiles* ac *Generoſi* *Georgius* ac *Michaël*; nec non Filia, *Barbara*, *Catharina*, *Juditha*, *Sara*, lugent. *Speſtabilis* ac *Generoſus D. Joannes Simon*, ut *Antiochus* ob *Seleucum*, depoſitâ purpurâ, mutato habitu, pullam veſtem induit; qui olim difficillimi in negotiis Fratri ſolatio fuit, Frater ipſi nunc mœſtitia eſt. Non tantùm ſecundâ fortunâ fuit Fratri, ut *Jonathas Davidi*, verùm & in diſcrimine vitæ, unâ cum Filio, non tam bonorum, quàm nominis virtutumq; paternarum hærede, *Speſtabili* ac *Generoſo Domino Joanne Simon*, uſque ultimum halitum gemebundus aſtitit. Novi vos lugere, & non tam externo apparatu, quàm interno mentis affectu; novi etiam alios Fratres, deſixis in terram oculis, profunda ſuſpiria ingeminare; nec me ejus tenet admiratio, cum non tam Fratrem, quàm Parentem amiſeritis; at nolite lugere, ſuperſtites ſunt gloria & virtus Ejus; ſi omnia alia mors quaſi turbine facta diſſiper, gloriam tamen Veſtræ Familia ad Vos propagari fruſtra invidet, merita Vobis imitanda non intervertet. Pharus hunc Familia Veſtræ intueamini, & Vobis præeuntem gloria, ſequimini; omnia merita ſuperſunt, tantùm naturæ penſum, Vobis adhuc pendendum, perſolvit.

Non tantùm *Speſtabili Familia*, ſed etiam *Speſtabilibus* ac *Generoſis* ſibi *Accolis Nobilibus*, toti etiam *Inclyto Comitatu* dolori eſſe poteſt, (cum mea ſaltem memoria tres, ſi non quatuor *Conſiliarios*, è gremio ſuo amiſit) quia toti Patriæ; verum enim Patriæ Civem Patria amiſit. Rarò occurrit in Hiſtoriis, qui tantos & tam continuos Patriæ in ſervitiis conſumſiſſet Annos; ſpatio enim 44 annorū nunquâ fuit extra publica officia. Rari ſunt, qui apud exteros non oblivſcantur Patriarum conſuetudinum; at hic earum temper fuit obſervantiſſimus: non ipſum puduit ſuæ Gentis olim glorioſæ, habituum ac conſuetudinum. Legum Patriarum eum gnarum, loquuntur ejus quæ or-

navit subsellia; amantissimum testantur varia Responſa, Conſilia, cōtinuò eum ſalutantium & interpellantium Patriotarum ordo. Probant indefſi ejus, tempore Excellſi Gubernii Confluxùs, tùm ante- tùm po- meridiani labores Testantur multorum oppreſſorum, Viduarum ad pedes ejus depoſitæ preces, quibus non permisit ſine ſolatio genas rigare. Mireris in hoc Venerando Sene, cùm Senes bis pueri dicantur, vires vegetas, ingenii acumen, judiciï dexteritatem. Mireris hoc ſeculo hujus ſinceritatem: maluit enim ſollicitantibus ingrata reſpondere, quàm ſinceritatem: ſuam ſui ſubdola accommodatione, ſuſpectam reddere, vel amittere. Mireris in tanto Viro Humilitatem: nihil enim magis Magnos ornat, quàm Humilitas. *Aſperius nihil eſt humili, dum ſurgit in altum;* licet gradatim apicem honoris conſcenderit, fores tamen ejus vel minimis patuerunt; omnes, niſi fortè propter ſcelera indignos excluſit, Conſilio & alloquio dignatus eſt. Tabulam & Viennæ liberam, in Tranſylvania vix vacuum vidiffes.

Felix, cujus ætatem & virtute, & longo 71 annorum tempore licet metiri, qui non tantum Principi, Patriæ, Amicis, Fratribus vixit, ſed & Unitariæ Eccleſiæ; vixit Deo, illibata præſtita fidelitate; mors etiam teſtatur benè actam ejus vitam: Deus enim ferè ſine doloribus vitæ ſubduxit, à 12. ſub prandio hora, ſiquidè ſecunda vice Paralyſi tactus, vix per quadrantis horæ ſpatium, Cephalalgia ſe correptum ſenſit, & dein' ſine ſenſu vix 12 horarum ſpatio decumbens, in Domino media nocte denatus eſt. O felicem ſine paſſionibus mortem! O felicem eum, qui benè munitus & inſtructus, tam citò evocatur! Morbi enim & paſſiones ſunt exercitia virtutum: at cui ſatis erat exercitiï, tantùm ad quietem erat componendus. Veteres dixerunt, totam vitam eſſe meditationem mortis: at ILLUSTRISSIMI DOMINI, Dñi MICHAELIS SIMON de DÉSFALVA vita, non tam ſpeculativa fuit meditatio, quàm practica præparatio ad mortem. Subitanea ejus mors reſpondit Adventui Chriſti: qui ut incertus & improviſus, ita etiam nobis non expectantibus, nullis vel tardis prænuntiis, Chriſto Domino adventanti, nocte ad primum Adventus diem illuſcente, obviam vocatus, ſponte tantùm minima mora interpoſita, paruit. Omnium Terminus eſt *mori*; ILLUSTRISSIMI DOMINI, Dñi MICHAELIS SIMON de DÉSFALVA fuit *Benè mori*. Accipe itaq; tuæ erga Deum, ejusq; Eccleſiam fidelitatis præmium, immutabilem quietem, quietſce, quietſce, atque lætare in æternum Venerande Senex! ſapienter enim lætus, potens, ſecurusque tui dixiſti: *Satis vixi. D I X I.*

